



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XXXI. An & quando capellania requirat provisum esse actu celebrantem, aut aptum ad celebrandum: & quando, & ex quibus possideri queat per simplicem clericum. Ubi nota quod decisio Rotæ 65. pert. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

summi Pontificis, quod hic factum non fuerat: tum etiam, quia ibi constabat notoriè, laicos non habere facultates sufficientes ad solvenda onera, ut legitur apud Mart. d. num. 52. & 53. quod in casu nostro non verificabatur.

6 Et quamvis clerici teneantur aliquando contribuere, non solum ad pestem & famem repellendam, sed etiam ad aliqua concernentia illorum utilitatem tamen illa contributio non debet fieri, nisi octo concurrentibus, quorum primum est, ut non collectentur nisi in subsidium, & deficientibus facultatibus laicorum. 2. Quod contributio fiat, consulto Romano Pontifice. 3. Ut constet impositionem fieri ex causa necessaria. 4. Ut deliberatio circa talem impositionem fiat convocato concilio tam clericorum, quam laicorum. 5. Ut pecunia pro qua imponitur collecta, fuerit consumpta, vel debeat consumi ad illum usum pro quo fuit imposita, & non ad alios. 6. Quod necessitas vel utilitas sit magna & urgens. 7. Quod negotium tangat directè Ecclesiam. 8. Ut agatur de necessitate communi inter clericos & laicos: quæ omnia copiosè tradit Carol. de Grassi. d. effect. 3. num. 227. usque ad 248. Et ferè omnia referuntur per Rot. decis. 42. à num. 3. usque ad 9. part. 4. recentior. & de dicta immunitate clericorum copiosè tractat Rot. decis. 338. per tot. part. 6. recentior. 7 Ubi numero 70. ostenditur, Rectorem non posse per suum consensum præjudicare Ecclesiæ, quamvis permiserit bona poni in catastro laicorum; quamvis etiam aliquo tempore persolveret collectas: quia non potuit præjudicare Ecclesiæ sine assensu summi Pontificis, ut ibi dicitur num. 77. Et sic fuit bis diligenter examinato articulo per Rotam Romanam resolutum.

8 Quæ immunitas extendenda est ad bona patrimonialia clericorum. Cum enim duo sint onerum genera, quædam certa, invariabilia & perpetua, ut sunt census & tributa; alia verò sint variabilia & incerta, quæ per æs & libram modò majora, modò minora imponuntur: si de primi generis oneribus agatur, certum est illa transire ad privilegiatos, ad quos res ipsa onere invariabili affecta pertransit: si verò de oneribus secundi generis, quales sunt collectæ, quæ pro ære alieno dissolvendo imponi solent, tunc res non transit cum suo onere: sed si privilegiatus succedat, utetur suo privilegio, quamvis requisiverit à persona non privilegiata. Rot. d. decis. 42. numero 11. 12. & 13. part. 4. recentior. Scott. in constit. Pontific. theore. 77. vers. porro bona patrimonialia. Bonacin. tom. 3. disput. 1. quæst. 19. punct. 3. num. 12. vers. sententia. Ubi plures allegat. Garz. d. effect. 3. numero 27. 28. & 32. Ubi dicit contrariam opinionem esse communiter damnatam.

9 Et quamvis in casu proposito allegaretur decretum quoddam, aliàs factum per Eminentiss. Cardinalem de Comitibus contra clericos: Respondi, non potuisse Vicelegatum derogare dispositioni juris communis. Rot. decis. 500. num. 4. in fin. part. 3. recentior. Honded. conf. 93. num. 70. vol. 2. 10

Maximè cum decretum illud factum fuisse proponeretur cum clausula, sine præjudicio juris partium, quæ illarum jura præservat etiam in summariissimo processu. Seraphin. decis. 810. num. 1.

11 Majus tamen dubium versari videbatur circa impositionem factam super carne quæ in publico macello vendebatur; cujus pretium dicebatur augeri mediantibus quibusdam pascuis communibus, quæ per universitatem dabantur macellaris: & non videbatur æquum, ut clerici utilitatem perciperent ex pascuis laicorum. Sed ad hoc responsum fuit, idem

jus competere clericis super pascuis communibus, quod laicis; & ideo Communitas nihil dabit macellaris plusquam ipsimet clerici, qui partem habebant in pascuis. Bertrand. conf. 92. vol. 3. part. 1. Et ideo si super pane, carne & aliis venalibus imponantur gabelle, clerici & personæ Ecclesiasticæ non teneantur contribuere, ut decidit Rot. decis. 159. num. 8. part. 7. recentior. dicens istam esse veram, & communem sententiam, quicquid alij dicant in contrarium.

Et ex his lata fuit sententia in favorem Ecclesiasticorum: circa quam tamen duo notanda esse existimo. Et primò quidem, quod cum magna pars impositionum, quæ sunt per Communitates, maximè in statu Avenionensi & Comitatu Venaissino, fiant pro exsolvendis oneribus & debitis contractis ex causa belli, seu ad depellendam famem & pestem, & aliis in quibus de jure Ecclesiastici contribuere debent, non expedit ut clerici reddant se difficiles in contribuendo pro rata eos tangente, cum autoritate superiorum, & intervenientibus aliis de jure requisitis. Quemadmodum fecerunt Domini de clero, qui cum civitate Avenionensi transegerunt super modo solvendi collectas.

Secundò notandum est, quod licet clerici sint immunes à dictis oneribus, tamen ad illa teneantur, si in contractu acquisitionis ad eorum solutionem se obligaverint: quia Ecclesia licet sit immunis à collectis, non tamen est immunis à conventionibus ita tradit Cardin. Alban. in tract. de immunit. Eccles. num. 80. vers. nunc rationem illam, adden. ad Buzat. decis. 780. num. ult. col. ult. Rot. decis. 339. num. 62. part. 6. recentior. Sanch. in opere moral. lib. 2. cap. 4. disput. 57. num. 8. Ubi quod donans vel concedens in actu concessionis potest apponere legem quam voluerit, & Ecclesia tenetur illam observare, live in fraudem ipsius Ecclesiæ id actum sit, live non. Nic. Bellon. conf. 40. num. 4. & 5. Et onera quæ procedunt ex pacto inito cum autoribus clericis, à quibus ipse jus habet, dicuntur realia, & rem ipsam sequuntur, ut ostendit Barboz. de jure Eccles. cap. 33. h. 5. num. 37. Vide Dian. resolut. 82. tract. 2. vol. 1. & resolut. 44. & 45. Quid de prohibita introductione vectorum fructuum intra civitatem, idem Diana loquens de prohibitione ingressus vini forensis, resolut. 68. & 69. Carol. de Grassi. d. effect. cap. effect. 2. num. 315. Quid de taxa fructuum, Diana resolut. 71. Quid de consuetudine immemoriali, Diana loc. citato resolut. 96.

CAPUT XXXI.

An, & quando capellania requiratur privatum esse actu celebrantem, aut aptum ad celebrandum. Et quando, & ex quibus possideri queat per simplicem clericum.

SUMMARIUM.

- 1 Capellania non est Sacerdotalis, quamvis fundator dixerit, quod institutus in ea teneatur celebrare.
- 2 Amplius, ut hoc procedat, quamvis fundator mandasset presentari unum, qui sit idoneus.
- 3 Idem, si fundator dixisset institui capellanum, qui diu nocturne celebret divina officia, sicut ceteri.
- 4 Vel si dixisset, quod teneatur assistere processionalibus, & divinis officiis.

5 Capellania

- 5 Capellania dicitur Sacerdotalis, si ex verbis fundationis colligatur intentio fundatoris. Et ex quibus.
- 6 Nomen Presbyteri refertur ad simplices Clericos.
- 7 Fallit si testamentum fuerit latino idiomate conscriptum.
Sublimita, nisi testator esset imperitus; tunc enim larga sit interpretatio, num. 12. & vide num. 8.
- 9 Deciso Mantic. 129. in quibus terminis procedat.
- 10 Consuetudo interpretativa facit, ut simplices Clerici admitti possint, vel non, ad capellaniam.
Amplius licet consuetudo non esset præscripta, num. 11.
- 13 Quando capellania est Sacerdotalis, tenetur provisor de ea, per se ipsum inservire, & non per substitutum.
- 14 Curatus tenetur ad continuam residentiam, & celebrationem Missarum.
- 15 Cura est incompatibilis cum capellanis Sacerdotalibus, in loco ita remoto constitutis, ut utriusque servitio Parochus simul interesse non possit.
- 16 Virum in impetratione capellaniam necesse sit pro illius validitate exprimere, quod habet ordinem presbyteratus annexum.

Quæstio admodum practicabilis est, an, & quando capellania censetur Sacerdotalis, & requiratur quod provisor sit Sacerdos, & actu celebrans; an verò per simplicem clericum possit obtineri. In qua variè secundum facti contingentiam, Sacerdotalis esse, vel non esse, Respondi: attentis maximè verbis in fundatione appositis. Nam super testamento Domini quondam Petri de Villanova loci de Grans in Provincia provincie condito anno 1348. die 15. Maij. Dixi capellaniam per eum fundatam non esse Sacerdotalem; & in ea deserviri posse per substitutum, etiam si testator dixisset, quod instituitur capellanus qui singulis diebus celebrare teneatur. Quia licet nonnulli Doctores, ex illis verbis voluerint inferre capellaniam esse Sacerdotalem; & tamen contraria sententia prævaluit, & illam amplexa est Rot. Roman. existimans illam fundationem non continere præciliam Sacerdotii necessitatem, nec personalem residentiam; sed per alium fieri posse servitium in eadem capellania; ut notavit Burat. decis. 92. n. 2. & sega. Idque eo magis, quia Sacra Cardinalium Concilii interpretum congregatio ita sæpius declaravit, ut refert Gonzal. ad regul. 8. gloss. 5. n. 77. & 88. & testatur ibid. Burat. & qui subdit hoc procedere, quamvis testator voluisset quod præsentandus esset idoneus; quia idoneitas etiam considerari potest ad hoc ut per substitutum faciat celebrari. Idem tenuit Gratian. disp. 133. num. 10. & segg. & ubi loquitur in casu quo testator voluerat, quod Capellanus diu nocturne celebraret divina officia, sicut ceteri Capellani; referens ita per S. congregationem fuisse determinatum.

Unde nec obstat possidenti vigore dicti testamenti, quod testator voluerat provisor assistere processionibus & divinis officiis. Quia ista possunt exerceri per substitutum; idè non inferunt provisorum debere esse Sacerdotem. Rot. decis. 65. n. 2. part. 3. recentior.

Sed è contrario super testamento D. Berengarii Goffridi consultus eodem ferè tempore, contrarium respondi; nempe capellaniam per eum fundatam esse

Tom. I. Pars I.

Sacerdotalem, nisi præscriptio vel consuetudo obstarer in contrarium. Ratio est, quia testator claris verbis suam intentionem expresserat, mandans suum nepotem institui in dicta capellania, casu quo ad sacros ordines pervenerit, & Missam celebraverit, & interim voluit poni unum presbyterum sufficientem, donec ipse fuerit effectus presbyter, & missam novam celebraverit; si verò non pervenerit ad presbyteratus ordinem, &c. Quæ omnes clausulæ satis demonstrant illius intentionem fuisse, ut provisor de dicta capellania esset actu presbyter, sicut in similibus terminis respondit dicta Eminenti. Cardinal. congregatio, referente Barbof. de iur. Eccles. lib. 3. c. 5. n. 33. Et ita dixi capellaniam à dicto Berengario fundatam, per testamentum ab eo conditum die 17. Octobr. 1419. esse sacerdotalem.

Et eadem ratione, super alio testamento consultus Respondi, ex verbis fundationis apparere beneficium de quo agebatur, esse sacerdotale; quia testatrix usa fuerat his verbis: Volo & ordino quod de bonis meis fundetur una capellania, in Ecclesia parochiali sancti Amantii, in honorem beate Catharinæ, in qua quidem capellania dici & celebrari volo qualibet septimana tres missas: & eo casu adveniente, instituo & Patronos esse volo Propinquos meæ parentelæ, & quod patronus teneatur, & debeat providere de uno presbytero idoneo & sufficienti; & casu quo non reperiretur aliquis, qui dictæ capellaniam vellet inservire, nec onus celebrandi dicendo tres missas modo præmisso in se assumere, volo quod bona mea dentur amore Dei, tam operæ dictæ Ecclesiæ, &c.

Quia licet sæpius Rota Romana existimaverit nomen presbyteri posse etiam simplicibus clericis adaptari, ut colligitur in cap. vestra, junct. princip. cum fin. de cohabit. cleric. & mul. Mantic. decis. 129. num. 1. & 7. Tamen hoc non procedit, quando testamentum conceptum fuit latino idiomate, prout in hoc casu; tunc enim non refertur nisi ad insignitos ordine sacerdotali, per rationem allatam à Rolan. cons. 83. num. 21. vol. 3. Rot. decis. 14. num. 7. part. 7. recentior. ubi alii citantur: & Maximè quia illud testamentum, de quo agebatur, conditum fuerat à muliere, quæ vim & efficaciam verborum latinorum ignorabat; & propterea interpretatio fieri debebat secundum communem usum loquendi, & verba propriè, non autem improprie & fide intelligenda, l. fin. & ibi DD. Cod. de his qui ven. arat. imper.

Dicta verò decis. 129. apud Mantic. fundatur potius in observantia verbi dubii interpretativa, ut not. Barbof. de iur. Eccles. lib. 3. cap. 5. de capellan. num. 33. & Sicut etiam stante consuetudine interpretativa admittendi clericos, etiam non sacerdotes, seu in minoribus ordinibus constitutos, collationem capellaniam factam simplici clerico; validam esse determinavit Rot. d. decis. 14. n. 8. part. 7. recentior. & Adeo ut non sit necesse consuetudinem esse præscriptam, ut dicit Mantic. d. decis. 129. num. 2. Rot. d. decis. 14. n. 5. & 6. part. 7. recentior.

Et licet replicari possit, contrarium probari posse ex traditis per Gonzal. ad reg. 8. gloss. 5. num. 85. & 86. & Maximè quia testatrix erat ignara, & sic ejus dispositio largo modo intelligenda videbatur, ex tradit. per Mantic. de conject. ult. vol. lib. 3. tit. 5. num. 7. & 8.

Non tamen ideo recedendum existimavi à præcedenti resolutione, quia Gonzal. ut & Mantic. videtur se restringere ad observantiam admittendi non presbyteros, cum tamen in casu proposito supponeretur semper provisos fuisse actu celebrantes, quæ consuetudo servanda est, ut tradit idem Gonzal. loc. cit. n. 107.

D 2 Sed.

Sed semotis omnibus prædictis considerationibus, hæc una sufficit ad declarandam mentem fundatricis, quæ colligitur ex verbis illis: Provideatur de sufficienti Presbytero; & casu quo non reperiretur qui vellent dictæ Capellaniæ inservire, nec onus celebrandi dictas tres missas assumere, &c. quibus sic stantibus, debet provivus per se ipsum celebrare, & non per substitutum, præsertim junctis aliis supra adductis, quæ insimul, & non separatim consideranda sunt, ad eliciendam intentionem fundatricis. †

13 Debet ergo provivus actualiter & per se, non per substitutum deservire. Garz. de benef. part. 7. cap. 1. num. 86. & multis seqq. Barbof. de jur. Eccles. d. cap. 5. n. 33. & 34. Gonzal. d. gloss. 5. num. 100. Novar. lib. 1. quest. forens. cap. 115. Aliquid hæc de re diximus infra cap. 118. num. 26. & seqq.

Unde sequitur dictam capellaniam fundatam in Ecclesia loci de S. Chamas, esse incompatibilem cum

14 cura loci de Grans: † tenetur enim Curatus ex debito officij missas in sua Ecclesia parochiali celebrare, juxta Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 14. Barbof. de offic. & potest. paroch. cap. 11. num. 5. Cum igitur non possit simul duobus in locis constitui, & ex necessitate curæ teneatur ad continuam residentiam in loco de Grans, non potest satisfacere celebrationi missarum in d. Ecclesia loci de S. Chamas indictæ:

15 † Unde oritur incompatibilitas, Garz. d. part. 11. c. 5. n. 86. vers. sed id de residentia. Massobr. in prax. consens. requirit. 1. dub. 3. n. 7. vers. nisi forte. Rot. Divers. decis. 483. n. 3. part. 1. ubi dicitur hoc habere locum quando residentia est continua; adeo ut si quis possit in utroque beneficio deservire, beneficia non dicantur incompatibilia, veluti si ex jure speciali, statuto vel consuetudine, residentia in utroque requiratur; quo casu per ademptionem capellaniæ, vacant beneficia jam adepta, propter incompatibilitatem; ut dicit Card. Zabarel. cons. 3. ubi concludit quod licet canonicatus requiratur præcisam residentiam, non tamen est incompatibilis cum capellania habente onus annexum singulis diebus celebrandi missas; quia hoc onus potest se compati cum residentia requisita in canonicatu. Idem tradit Grivel. decis. Dolan. 89. n. 9. & 10. ubi dicit, quod si capellania habet onus coadjuvandi Parochum in cura animarum, dicitur requirere residentiam, & ex eo inducitur incompatibilitas; & nos superius cap. 12. copiosè demonstravimus.

16 An verò, & quomodo in impetratione hujusmodi capellaniarum habentium ordinem annexum, aut onus celebrandi missas, vel requirementium personalem residentiam, facienda sit mentio harum qualitatum, resolvitur per sequentes conclusiones.

Prima, non esse necessarium quod in impetratione exprimatur, capellaniam habere annexum onus celebrandi missas, quia talis qualitas licet fuisset expressa, non ideo difficiliorem reddidisset summum Pontificem ad gratiam concedendam. Cum enim Judicis arbitrio relinquatur judicandum, utrum qualitas non expressa sit talis, quæ difficiliorem reddidisset Principem concedentem, consideratis scilicet negotij circumstantiis, ut tradit Rot. decis. 24. n. 8. part. 3. recent. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 21. num. 19. nullus Index existimabit expressionem oneris celebrandi missas, difficiliorem redditurum fuisse summum Pontificem ad gratiam concedendam; quia cum capellania sit beneficium Ecclesiasticum, & propter divinum officium detur beneficium, cap. cum secundum, de prebend. cap. fin. de prescript. in 6. potuit cogitare summus Pontifex capellaniam habere aliquod jus spiritualitatis annexum, Felin. in cap. in nostra 32. n. 9. vers. de tertio, de rescript. Cum etiam ipsum no-

men capellaniæ, quodammodo præ se ferat celebrationem missarum. Rot. decis. 65. num. 1. part. 2. recentior.

Secunda conclusio; quamvis capella habeat annexum ordinem sacerdotii, non est necesse illud exprimere in impetratione: Imò sufficit quod provivus sit habilis actu, vel habitu ad illius ordinis susceptionem, cap. si pro clericis, & cap. ei cui, de preb. in 6. Rot. d. decis. 65. n. 2.

Tertia conclusio, quamvis capellania requiratur residentiam, non tamen necessariò illius qualitatis fieri debet mentio in impetratione: quia residentia de jure communi inest omnibus beneficiis, qualitates autem quæ insunt de jure, sunt notæ summo Pontifici ideo non sunt de necessitate exprimendæ. Selv. de benef. part. 3. quest. 12. n. 12. & ita decidit Rot. d. decis. 65. n. 1. vers. quo verò ad residentiam.



CAPVT XXXII.

De jure patronatus hæreditario, gentilitio & mixto: & quomodo voces patronorum debeant computari, quando fit præsentatio.

S V M M A R I V M.

- 1 Jus patronatus quando sit gentilitium, hæreditarium vel mixtum.
- 2 Qualitas hæreditaria non est incompatibilis cum jus patronatus gentilitio.
- 3 In dubio jus patronatus censendum est hæreditarium.
- 4 In gentilitio succeditur in capita, in hæreditario in stirpes.
- 5 In gentilitio succedunt qui sunt proximi utique successoris, exclusis remotioribus.
- 6 In hæreditario mille computantur pro uno quem præsentant.
- 7 In gentilitio quilibet suum caput constituit, sed remotiores excluduntur à proximioribus, num. 22.
- 8 Explicatur sententia Barbofæ, & aliorum, qui dicunt jus patronatus relitum per donatum vel legatum, acquiri in capita. Et num. 12. contrarium verius ostenditur, excepto jus patronatus gentilitio.
- 9 Hæredes ex inæqualibus portionibus succedunt tamen equaliter in jus patronatus. Fallit quando voces sunt æquales, quia præsentatus ab eo qui majorem habet partem hæreditatis, præferatur, num. 11.
- 10 In gentilitio post primos vocatos, alii succedunt in stirpes. Limita, nisi familia esset vocata tamquam unum corpus, & collegialiter, n. 14.
- 11 Si duobus corporibus competat jus patronatus, quodlibet corpus pro uno tantum jure numeratur.
- 12 Quæ requirantur ut jus patronatus sit mixtum et gentilitio & hæreditario.
- 13 Jus patronatus mixtum non potest transferri, nisi deficiente tota familia vocata.
- 14 Finita familia jus patronatus transit ad hæredes extraneos, nec Ecclesia libertatem acquirit.
- 15 In jus patronatus mixto succeditur in capita, licet